

o 1-10

RUP XVII-148

PHILIPPI  
BERTERII  
IN REGIS  
CONSISTORIO  
CONSILIARI,  
ET IN SENATV  
TOLOSANO  
PRÆSIDIS,

TOLOSÆ SIVE ICONVM  
LIBRI DVO.

EDITIO SECUNDA.

M. xij. f. & v. 1605. Oglive L. Mairly



TOLOSÆ,

Apud Viduam I. Colomerij, & R. Colomerium Regis,  
atque Vniuersitatis Typographi.

M. DC. XIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

666

## ОЧИЗОЛОГИ

ΜΝΗΜΟΣΥΝΗ ΤΗΣ ΕΛΛΑΣΟΝ

БИБЛИОГРАФИЧЕСКИЙ



卷之三



ILLVSTRISSIMO

CARDINALI  
FRANCISCO  
IOYEVS AE DVCI  
Franciæ Pari.

**M**Emini, CARDINALIS  
ILLVSTRISSIME, &  
incunda mihi erit semper  
temporis illius recordatio,  
cum tu in hac urbe pro Ecclesia ampli-  
tudine excubares, totusque in eam cura  
incumberes, ut ordo Ecclesiasticus di-  
gnitatis sua splendorem obtineret, &  
susceptas belli ciuilis calamitate macu-  
las, grauis atque continens disciplina

prorsus deleret. Ferebant te omnes in  
cœlum & præclarum illud studium tuū  
æterna cum laude coniunctum iudica-  
bant. Ego verò in tanta omnium ordi-  
num approbatione ita sum animo affec-  
tus ( magna enim exempla intimis harent  
sensibus & nos summoperè ad laudem  
hortantur ) ut Tolosæ nostræ , quam tu  
moribus ornabas , decus omni qua pos-  
sem ratione mihi illustrandum propone-  
rem. Nec meum tibi consilium disipli-  
cuit ; quod ut tecum præcipuè commu-  
nicarem persuaserat tua erga me sum-  
mis beneficijs testata benevolentia : Téq;  
adçò ( si pateris ) huius mihi instituti au-  
ctorem fuisse non verear profiteri. Vr-  
gebam igitur opus tuis auspicijs inchoa-  
tum & si quid à foro , vel à granioribus  
studijs mihi dabatur otij , libenter huic  
labori impendebam ; cum Rex post homi-

num memoriam maximus, te à charif-  
simæ ciuitatis sinu, ut tuo summis in re-  
bus consilio uteretur, euocandum puta-  
uit: Quo tempore bellum statim intesti-  
num & domesticum in Italia exortum  
est; ac nisi tanti Principis auctoritate,  
tuaque opera feliciter concordia fuisse  
conglutinata, periculum erat ne quid  
acciperet detrimenti Christiana Respu-  
blica: qua tuam in grauissima provin-  
cia, & temporibus difficillimis pruden-  
tiam, fidem, religionem planè cognitam,  
penitusq[ue] perspectam habuit:

Tunc septem meritis resonarunt  
laudibus arces,

Omnis & insolitum spirauit Roma  
fauorem.

Sed hæc tam humili & demissa oratio-  
ne exprimi non possunt. Redeo itaque ad  
discessum tuum, qui magnum Tolosati-

bus nostris mœrorem attulit. Et ut de  
me, atque instituto meo loquar, certè ar-  
dor ille, qui tuo hortatu excitatus fue-  
rat, te absente sic confederat, ut plane  
extinctus videretur: quippe abhorrent  
enim hac studia ab usu forensi, in quo  
nulla opinor, munita ad Heliconem via.  
Sed ubi iudicij tui (quo nihil mihi est an-  
tiquius) memoria animum subiit, collegi  
ipse me, & ad pristinam illam cogitatio-  
nem, curamq; reuocauit: sic operi te au-  
ctore incœpto extrema manus accessit.  
Caterum cum B. Saturnini Ecclesia,  
qua ut summo est urbi nostra ornamen-  
to, ita præcipuum his præbuit Iconibus  
argumentum, tua sit fidei commendata;  
tuum etiam hac ΑΓΙΑ ΤΩΝ ΓΡΑ-  
ΦΙΚΩΝ ΕΡΓΩΝ ΕΚΦΡΑΣΙΣ  
suo quodam iure flagitat præsidium:  
quod eximia, qua in te elucet pietas, &

summa in me propensa & voluntatis testi-  
monia cumulatè mihi pollicētur. Poësim  
& picturam veteres amicas hic non in-  
grato inter se fædere, nisi me fallo, socia-  
tas reperies. Nihil, ut scis, utraque au-  
dere non solet: sed ego fortassis auden-  
tior, qui te virum in maximis Europæ  
negotijs summa cum laude versatum,  
omniâque excelsa meditantem interpel-  
lare non dubitauerim. Ignosce obsecro,  
& me firmissimis tuorum meritorum  
vinculis constrictum antiqua tua bene-  
volentia complectere.

Tolosæ Cal. Maij M. D C. X.



# PATRIÆ SACRVM.

**R**E RVM olim à Tolosatis-  
bus præclare gestarum  
gloriam ( quod sine do-  
loris sensu quodam ef-  
ferre non possum) obruit vetustas , &  
penè deleuit obliuio. De priscis Tec-  
tosagum finibus , victorijs , colonijs ,  
moribus , institutis vix tenuis ad nos  
famæ aura peruenit. Antiquos Bebry-  
cas prorsus ignoramus : quos nihilo-  
minus Narbonensis prouinciæ popu-  
los & Pyrenæis montibus finitimos ,

atque adeò Tectosagis ascribendos  
fateamur necesse est. Praeclarum est  
quod de Tolosa his prodidit versibus  
noster Ausonius,

*Quamodo, quadruplices ex se cùm effu-  
derit urbes,*

*Non ulla exhausta sentit dissipia  
plebis.*

At nos hodie ne memoria quidem te-  
nemus nomina earum ciuitatū, quas  
docet ille à tam celebri & copiosa  
metropoli propagatas. Ipsi etiā Tecto-  
sagi Volcæ vix ab Arecomicis hoc  
tempore distinguuntur. Et interea vr-  
bis antiquissimæ primordia anxiè per-  
quirimus, ac nescio quas commenti-  
tias futileisque sententias libenteram-  
pleteimur: οἱ γὰρ ἀνθεφοι ταῖς αὐτοὺς ἡδὶς περιγέ-  
νεταιών, Καὶ λεπτήσεια σφίσιν ἡ δημόσιως ἀβασιάσως  
παρὰ αὐτήλων δέχεται. Pudet nimirum nos

*λατινούς* esse ; eandemque terram ( in quo gloriæ summam *Tibisones* Cecropidæ constituebant ) habere parētem , & altricem nolumus . Illud equidem non queo satis mirari in Palladia vrbe , quæ viros tulit multos literarum scientia , & loquendi elegantia feliciter instructos , neminem vnquam extitisse , cui in mentem venerit patriæ historiæ consulere , illustremque auorum memoriam ab interitu vindicare . Dubium certè non est , quin ista vetus colonia opibus affluens & plena ciuium Romanorum , aliquando templis , capitolij , aquæductibus , amphitheatris ornata fuerit . Verùm tot extructas sumptibus infinitis moles non hostilis dejectis aries , aut longa annorum serie cōfecit & consumpsit vctustas ; sed Gothorum natio Ro-

manæ laudis inuida , ne tanti nominis  
majestas nouo & surgenti regno offi-  
ceret, funditus euertit. Quæ cùm sæ-  
piùs mecum reputarem, in eam cogi-  
tationem deductus sum, ut opere pre-  
tium fore putarem , si comprehensas  
veterum monumentis prisci tempo-  
ris reliquias, quæ ad patriæ dignita-  
tem pertinent, diligenter colligerem,  
& quædam non satis adhuc explicata  
ætatis illius vestigia, omni cura atque  
sollicitudine conquisita patefacerem,  
& illustrarem. Sed quoniam hæc ci-  
uitas summorum Ecclesiæ procerum,  
qui augendæ amplificandæque reli-  
gionis studio incensi , se & capita sua  
pro Christo in varijs orbis terrarum  
regionibus deuouerunt , sacros cine-  
res & ossa gremio suo complectitur  
(ingens profectò depositum , quod

singulari fide ac religione in sancto  
augustóque B. Saturnini templo asser-  
uatur) animum inducere non potui,  
vt eximia virorum præcellentium fa-  
cinora, & immortales palmas, quas in  
præcipuis Christiani nominis laudi-  
bus ponimus, silentio prætermitte-  
rem. Imò verò mihi visum ex sum-  
mis illis virtutibus, veluti aureo quo-  
dam subtemine opus meum conte-  
xere: sed ita, vt propria Tolosæ orna-  
menta suis intexta locis facile agnoscantur. Elaborauit sanè, ne quid in af-  
pectum lucémque proferrem, quod  
publicarum tabularum, aut grauissi-  
morum auctorum testimonio explo-  
ratum non haberem:

Nnueptiōe γάρ τοι μαθήσουμε, εδ' οπισθίων.  
Sunt tamen nonnulli adeò morosi &  
difficiles, vt quæ non occurrunt quo-

tidie, conficta ac fabularum similia ar-  
bitrentur. Atque illi fortasse si in D.  
Philippi Historiam inciderint (quam,  
ut literis iampridem consignatam , &  
opere vetustissimo cęlatam depre-  
hendimus , nefas erat non exhibere)  
eam statim magis poeticè, quām verè  
conscriptam exclamabunt. Nemo ta-  
men est mediocriter literatus, qui dra-  
cones , iubatōsque angues in vetustæ  
superstitionis templis altos & educa-  
tos nesciat: nec quisquam , si religioni  
Christianæ initiatus fuerit , ab uno ex  
duodecim illis principibus viris, quos  
Dominus sibi socios comitésque ele-  
gerat , homines lumine spoliatos à  
mortuis excitari, & ad lucem vitámq;  
non pæonijs herbis , sed solo verbo  
reuocari potuisse velit inficiari. Sed  
hæc & alia, quę versibus comprehen-

di non potuerunt , accuratè posteà in  
Notis exponentur.

Supereft tantùm in præsentia , vt  
moneam insignem olim iniuriam  
Musis impositam ab his , qui omnem  
poeticæ facultatis laudem in delecta-  
tione statuebant , poetasque fabula-  
rum artifices esse , & ad veritatem (cu-  
ius luce nihil in rerum natura pul-  
chrius ) vix vnquam loqui prædica-  
bant. Quod si effet , nullum eis in opti-  
mo Reip . statu locum relinqui pate-  
rer non inuitus. Nunc autem legun-  
tur adhuc atque ediscuntur à nobis  
veterum poetarum carmina non fo-  
lùm mendacijs , sed & flagitijs foedissi-  
mè contaminata. An dicendum , quod  
aiunt , latere quædam in nugis istis re-  
conditæ philosophiæ mysteria , que ne  
vulgò percipi possint , fabularum in-

tegumentis velata proponuntur? Ex  
quo Homerus ~~καίρος~~ ~~ωρός~~ τῆς Ελληνικῆς  
~~ωρίας~~ appellatus est. At profectò , si  
verum libet audire, simplex fuit, & vt  
ita loquar, pudica, cùm primùm felici  
seculo os sacrum terris ostendit Poe-  
tica: quę varios syderum , vnde genus  
ducit, concentus imitata ęterni numi-  
nis, aut optimorum principum laudes  
exquisitis verbis , numeris & rhytmis  
ad cœlum extollere consueuerat: nec  
ei tunc alia glorię seges ac materia.  
Verùm ubi oppressa pietate scelus in-  
ualuit , statim illa pristinę dignitatis  
speciem omnem & colorem amisit.  
Quamobrem si quis ad preclara diui-  
nę huius scientię cunabula animum  
intendat , facile poterit quod rectum  
est cognoscere. Putidum certè &  
odiosum nimis aniles turpésque ho-

die fabulas ingerere, quarum memoriā penitus deleri oportere boni omnes consentiunt. Sed iam effulsit oculis *πόντος*. Etenim viri ingenio & eruditione præstantes, serio non ita pridem Musis operam nauare, atque earum existimationi prospicere cœperunt. Persequar ego quam illi ingressi sunt viam: Picturamq; & Plastiken seu *γλυφικήν* Poetice, ut eius splendor magis eluceat, socias adiungam. Hoc artis laudisq; antiquę decus auctorem habet Homerum, qui Achil- lis clypeum artificio miro, vt apud Philostratum obseruauit Apollonius, cēlatum & pictum simul luculenter descripsit. Quin & omnem illius poe- sim picturam veteres dixerunt.

*Gloria Lysippo est animosa effingere  
signa:*

sed

sed maior Homeri laus, cuius carmina  
musco lepore tincta spirare, incedere  
& nobiscum quodammodo loqui  
videantur. Αεισοτέλης γδ̄ μόνον Οὐπεργύ έλεγε  
κατάμην ποιεῖν ὀνόματα, ποιεῖν δὲ τὴν εὐάργυραν.  
Magna hęc, & quę nos in summam  
traducant admirationem. Vtinam  
modò vir tantus se à mendacijs ab-  
stinuisse : non deesset perfectum  
exemplar quod Poeticę studiosi pos-  
sent imitari. Sed quorsum hęc om-  
nia ? Quia me plurimi semper man-  
suetiores Musas fecisse testatum  
volo.

Tibi verò ô PATRIA Diuūm  
domus, belli pacisque studijs inclyta,  
expressam his Iconibus animi erga  
te mei voluntatem probari summo-  
pere cupio. Quid enim illustrius,  
quam de antiquissima & sanctissi-

ma parente , quę nascentem exce-  
pit , eduxit , instituit , benè me-  
reri ? Id si mihi contigerit ,  
summa me omnia con-  
sequutum arbi-  
trabor .

# ICONES

## LIBRI PRIMI.



- PALÆSTINA.  
MISSIO S. SPIRITVS.  
S. IACOBVS.  
S. PHILIPPVS.  
S. IACOBVS ALPH. F.  
SS. SIMON, ET IVDAS.  
S. BARNABAS.  
S. SVSANNA.  
SS. IVLITTA ET QVIRICVS.  
SS. CLAVDIVS, NICOSTRATVS,  
SYMPHORIANVS, CASTORIVS  
ET SIMPLICIVS.  
S. GEORGIVS.  
S. ÆGIDIUS.

# V O T I S O L V T I O.

**H**A N C tabulam SVPERI vestris sus-  
pendimus aris:  
Accipite ingenua vota peracta fide.  
Adfuit auxilium vestri mihi numinis olim,  
Cùm peterent medicam lumina lësa manū.  
Vos tamen ausus ego tenui celebrare ca-  
moena?  
Exigui tantum non erat oris opus.  
Affurgant humiles vestra in præconia musæ,  
Quas felix magni nominis aura vehet.  
Dædaliæ mira spirabant arte figuræ,  
Viuidaque artificis signa Myronis erant.  
Hic impressa rudi sunt facta ingentia cælo:  
Sed vestræ dabitis vos animam historiæ.



PHILIPPI  
BERTERII  
TOLOSAE SEV  
ICONVM.

LIBER PRIMVS.

**S**IDEREOS proceres, præ-  
sentia numina dicam  
Tectosagum: O patris, natiq;  
æterna potestas  
SPIRITVS alme veni, rege  
linguam, illabere mentis;  
Et mea SANCTE tuos effude in carmina s̄esus  
A iiij

## ICONVM

Vos animæ illustres , quarum facta inclyta  
pango,

Assuetæ votis omnes precibusq; vocari,  
Este duces opere in tanto, me tollere terris  
Ut possim, & viridè cælo decerpere laurum.  
Tûque faue , mecumq; nouo te accinge labori  
O PATRIA,Aonia faciles de rupe Camœnas  
Ad tua secreto deducam limina calle,

Ecquis Palladiæ capitolia prisca Tolosæ,  
Quis veteres nescit pagano nomine Volcas  
Egregiam belli studijs per sæcula gentem?  
Illa tulit Grajas victricia signa per urbes,  
Omnis & Ancyra tellus vicina recepit  
Tectosagum nomen, plebis Germania nostræ  
Expertæ est animos patriæ haud virtutis e-  
gentes,

Transmisitq; nouis agros inuita colonis.  
Quid referā ductos Nicæa ex urbe triūphos?  
Cum vires Asiæ contriuit Gallica pubes,  
Et Solymam eripuit saui ditione tyranni.  
Prætereo infelix aurum, sacramq; paludem,  
Quæ pauidas falso terrebat numine mentes;

Res antiqua leui tantum vix cognita fama.  
 Nunc ubi liuentis stagni vada lēta iacebat  
 Marmoreis surgit tēplum sublime colūnis;  
 Templum augustum, ingens, centum domus  
 aurea Diuūm,

Centum intus celebres votis solēnibus aræ.  
 Accedit locus ipse pijs præcordia flammis,  
 Et tacitum inspirat vitæ melioris amorem.

Saluete ô superi ciues stellantis olympi;  
 Ut vos aspicio? ut gemmis auroque decoris  
 Oscula pectoribus figo, venerorq; receptos  
 Diuersis cineres loculis, queis texta reluent  
 Ex nitido argento spirantibus aspera signis?  
 Vestrarum hīc monumenta manent ingentia  
 laudum,

Quæ manus artificis fecit non inscia prisci  
 Tēporis, & viuis ausa est animare figuris.

PALA  
STINA

Palmifera ante oculos primum versatur  
 Idume,

Terra sacris armisq; potens, & cœrula canis  
 Fluctibus excurrens longè Jordanis imago:

## ICONVM

Nō sinus Asphaltes; pal<sup>o</sup> aut Tibereia defit;  
 Carmelus, celsoq; Thabor se vertice tollunt,  
 Vicinis Libanus Phœnicum obtenditur oris:  
 Quāq; Palæstinā Thetis alluit, a spicē turres  
 Cæsareæ, atq; Iopes; iactat Galilæa Caparnū;  
 Tertius huic Cæsar; dedit illi Iulia nomen;  
 Samariæ procul inde nouū decus alta Sebaste;  
 Grata Deo hic Nazara, dies quam nulla  
 filebit;

Filic virgineo Bethlem sat cognita partu:  
 Quas inter Solyme sacrū caput altius effert,  
 Arduaque ostentat veteris fastigia templi.

Magna virūm frugūmq; parens San-  
 ctissima tellus,

Sors populi electi, tu fertilis vberē glebæ  
 Pellæi superas cultissima rura Canopi;  
 Thuriferis Arabum præstant tua balsama  
 siluis,

Et toto Hebræi celebrantur in orbe liquores.  
 Quis taceat palmas vitricis præmia dextræ?  
 Tu petoris, mellisq; ferax, tu fæta metallis;  
 Arua tenent pingues oleæ, iuga frödea cedri,

Mitis & apricos decorat vindexia colles.  
An regnis quondam possessas pluribus urbes,  
Oppidaque antiquis memorē circūdata muris?  
An mare & Eoi fragrantes litoris oras?  
Fluminaque & riguos liquidis è fōtib⁹ amnes?  
Anne lacus, pelagi te Gennesara superbum  
Nomine teq; atris mersas qui fluctibus urbes  
Obruīs, & meritæ retines vestigia pœnae?

Ergo ades ô regio, qua non acceptior olim  
Vlla fuit superūm rectori: hic illius arca,  
Hic templum; hic suetus manifesta in luce  
videri.

Didita per gentes est legum fama tuarum;  
Tu claros pietate duces, ferrōque potentes,  
Nec non eximijs reges virtutibus auctos;  
Afflatos propiore Dei tu numine vates;  
Et rerum auctorem (stupuit natura) tulisti.  
Hæc tibi de multis: aurem nam vellit Apollo,  
Et vires negat esse tuis mihi laudibus æquas.  
Fortunata nimis soboles antiqua Iacobi,  
Si prædicta patrum, cæli si monstra secuta  
Audisse placida Christum te voce docentem.

Progenie sed enim magni tibi sœpè Tonantis  
 Dauidis egregio promitti è sanguine noras,  
 Quæ generis nostri dirum contunderet hostē,  
 Certaque Cælicolum tristes sarcire ruinas,  
 Æthereas alijs aperiret ciuibus arces.  
 Expectata dies voluentibus aduenit annis,  
 Mirus amor, fragiles hominis Deus induit  
 artus;  
 Confessusque Deum factis ingentibus orbem  
 Implet, & ad mudi radiatis mœnia primam  
 Te Iudea vocat; sed tu. aspernata vocātemi  
 Obstruis ingratas monitis cœlestibus aures.

ISSIO  
 SPI-  
 TVS.

Dū geminas inhiās acies per singula voluo  
 Omnia miranti penetralia magna patescunt,  
 Candentisque super facies argentea olympi  
 Insertis auri maculis suffusa refulget;  
 Discedit media cœlum testudine, nubésque  
 Aurea plena Deo subitò prorumpit, & arcum  
 Nubila percurrens multo cum lumine signat:  
 Non secus ac celeres si quando fulminis alæ  
 Per sudum spatia alta secant, & murmura  
 miscent,

# L I B E R I.

7

Candidior longo deducitur orbita tractu.

Mixti etiam sonitus operi; tremere ipsa videntur

Fundamenta domus, limē, tectūmque moueri  
Omne putem, it totas innoxia flāma per ædes,  
Et sacra illæsis incendia postibus hærent.

Intus Diua sedet radijs insignis & auro:  
Ignibus in medijs sacerdi haud obscura pudoris  
Signa micant, habitūmque agnosco, & vir-  
ginis ora.

Bis seni hanc stipant proceres fortissima  
quondam.

Pectora, qui pulchro accensi pietatis amore  
Proiecere alacres animas, & saua tulerunt  
Supplicia impauidi: flagrantes ignea lambit  
Ollis lingua comas, scintillat tempora circum  
Ardentes radij; simulatum penè negares  
Te iubar, aut Diuum cōflatos cernere vultus.  
Per liquide haud aliter tranquilla silentia  
noctis

Sidera collucent flammis, terrāsque iacentes  
Certatim illustrant, currus sed clarior aureo

Inuehitur Phœbe, & pleno se lumine fundit.  
Omnes numē habēt, similēsq; loquētibus ora,  
Ora modis omnes soluunt fulgentia miris.

Atque vtinam notas varijs in partibus orbis  
Auribus arrestis voces haurire liceret.

Exurgit senior cælesti percitus œstro,  
Fatidicisq; patrū deprompta oracula chartis  
Exequitur, nihil hīc linguae nisi flumina  
desunt.

O quæ maiestas, canæ & reuerentia frontis?  
O quis luminib<sup>9</sup> splēdor? tu Maximus ille es,  
Aurea stelliferi parent cui limina templi.  
Iam noua Romanis addentur nomina fastis,  
Extremique hominum, surgens quos Phœbus  
anhelis

Afflat equis, vel iter rapidi permēsus olympi  
Præcipitānsque videt, claves, tua sceptra,  
timebunt.

Aspice quot varij linguis, vt vestibus astant;  
Hīc Arabes, Medique; hīc felices Elamitæ,  
Cappadociæ, longis quos flexibus irrigat Iris,  
Elatique animis Parthi, sed vana tumentes

Perculit Augustus, Romanaque signa recepit:  
 Quique tenent Libyam, & stagnanti pingua  
 Nilo

Arua colunt, magnos inter qui lata fluentes  
 Euphratem, Tigrimq; exercent vomere rura;  
 Quos Asia, & gemini tellus ditissima Ponti,  
 Quos summo Iudea poli dignata favore,  
 Fluctisonoq; aluit Pamphylia clara profundo;  
 Qui metita Iouis monstrat cunabula Cretes,  
 Romulidaq; tremit quorū sub fascibus orbis,  
 Et Phryges, unde altæ genus & primordia

Romæ.

Nec quisquam tato ex numero, qui figere visus  
 Audeat attonitos, tenebras lux incutit ingēs,  
 Correptæq; noua trepidat formidine mentes.  
 Vidisti spectet vultu quo Gallia magnum  
 Et latè populis reddentem iura senatum:  
 Augustæ patrum facies incanaque menta  
 Terrorem injiciunt, fulvo satiata metallo  
 Regia & ostrinus perstringit lumina fulgor.  
 Sed quis tanta Dei miracula dererat amens?  
 Nostraque diuinis componat ludicra rebus?

Non procul hinc gladio submittit colla  
Jacobus;

Hic ferus Herodes, regnis quem Cæsar auitis  
Imposuit, priscisque nouos adiecit honores,  
Aurea sceptra tenet dextrâ, micat aurea  
vestis,

Et circum paribus custodia fulget in armis.  
Arcetur timidū vulgus, fremit ille cruentos  
Intorquens oculorum orbes, sanctoq; minatur  
Supplicium crudele seni, cui fortia palmas  
Vincula & informes astringunt brachia nodi.  
Frons tamen haud deiecta metu; stat pectore  
firmo

Extremum quodcunq; pati, & succedere cælo.  
Ante oculos sēper Christus, iā incognita sēsus  
Gaudia pertenant, animo iā concipit astra.  
Obtinuit celsa cupidè quod mente petebat;  
En caput, en trūcū calido cū sanguine corpus,  
Sed nondum splendor, nondū decus ore recessit:  
Sic ubi flos vncō cecidit percussus aratro  
Purpureum veris languescens seruat honorē.  
Quid struis Agrippa? iā te pro immanib⁹ ausis

Carmine letali feralis deuouet ales.  
 Siccine nascentem sp̄eres extinguere flammā?  
 Humanos ridet diuina potentia nifus,  
 Et sacer hic puris illapsus mentibus ignis  
 (Quodminimē reris) perfusus sāguine crescit.

Exigua magnum è tabula mox discimus PHI-  
LIP-  
PVS.  
 orbem

Quā Scythiae tell⁹ gelidas cōsurgit ad Arctos.  
 Effera gens illic & mitis nescia cultus:  
 Omne terunt armis æuum, tectique ferarum  
 Exuuijs corpus glaciali frigore durant:  
 Obscuræ apparent arces, vbi plurima terris  
 Perpetuus Scythicus discrimina ponit Imaus  
 Pérq; niues Tanais Riphæis montibus exit.  
 Parte alia Euxinis Ister confunditur vndis,  
 Sed proprius Ponti (vetus est vt fama) parentē  
 Maeotin video, hyberniq; Borysthenis ora:  
 Fluminis æquorei lœuam tenet Olbia ripam;  
 Compactas trabibus turres, & mœnia cerno:  
 Hoc templum, hæc Scythico sacra sunt alia-  
 ria Marti.

Obstupui diræ perculsus imagine cædis:  
 Nā draco, cui fuluæ distingunt cærula passim  
 Terga notæ, nitidisq; caput fulgoribus ardet,  
 Veste sacerdotem pura, vittisque decorum  
 Deturbauit humi, duráq; in morte trahentē  
 Ultima discerpto suspiria pectore liquit.  
 Ut semel ora recens tinxit crux, æquore toto  
 Acriùs insultans miscet noua funera serpens,  
 Et duo, qui contrà districtis ensibusibant,  
 Deicxit, ac validis medios amplexibus arcet;  
 Iā lateri alterius, quā fata celerrima, adūcos  
 Infixit dentes, morientis & ilia fregit;  
 Distillant sanie & turpi membra oblita rabo:  
 Horret ad aspectum socij perterritus alter,  
 Quē retinent longæ sinuosa volumina caudæ;  
 Et læuo innixus cubito se tollit ad auras,  
 Tentat & ingentes dextra diuellere nodos:  
 Deficiunt vires, morti iam proximus haurit  
 Corda paucor, nigro manus est infecta veneno.  
 Audires iuuenum lacrimantum, & multa  
     gementum  
 Horrendo leti miseras in limine voces,

Dædala

Dædala si facili potuisset dextra metallo  
 Crudeles gemitus viuōsq; referre dolores:  
 Non subit auxilio, nō amplius obuia quisquā  
 Arma gerit, fugiunt omnes & tuta capeſſūt:  
 Infestus veluti strictis mucronibus hostis  
 Irruat in tergum, ferróq; extrema minetur.  
 Interea obtutu ſirmo defixa Philippus  
 Astris ora tenet vani ſecura timoris,  
 Euentūsq; ſuo tacitus cum corde volutat.  
 Eſt nudum caput, & pedibus veſtigia nudis  
 Instituit, pendent antiquo pallia more  
 Demiſſa ex humeris; ſic mollis inertia vitæ  
 Gaudia ſpernentes paupertas pulla tegebatur.  
 Illum animos pietate auſum mollire furētes,  
 Et ſuperis multos cupidū transcribere regnis,  
 Traxerat insani populus Mauortis ad aras,  
 Spargere & infandos libamina prima per  
     ignes

ſepiū oblata ne quicquam morte iubebat:  
 Accenſum furijs anguem ſociōsq; cadentes  
 Cū ſubitō aſpiciunt, ſimul hoc, ſimul ociūs arma  
 E manibus delapsa cadunt, trepidantque  
     ruuntq;

*His animaduersis oculos ad cætera flecte,  
Spirantisq; iterum vultus agnosce Philippi:  
Tres genua amplexi , lucem queis Martius  
anguis*

*Abstulerat, cæli rursus conuexa tuentes  
Bethsaïdæ grates tanto pro munere reddunt.  
Excedit pauitans, nec sibila colla, iubásque  
Otentat coluber, rapidis sed flexibus orbes  
Commouet, & celeri caudæ trahit agmina  
lapsu:*

*Qualis cæde lupus totum qui turbat ouile,  
Pastorem si fortè solo, audacemue molossum  
Fuderit, accenso metuit ne excita tumultu  
Agrestum manus incurrat; prædāq; relicta  
In saltus nemorū, aut mōtes fugit auius altos.  
Quæ rerum facies? immanibus excidit aris  
Bellipotens, mediāq; ensis resplendet arena.  
Iamq; Borysthenidæ (cessit de pectore vana  
Quippe superstitione) mutati numen adorant,  
Quo sine felicem frustrà spectemus olympum;  
Quæq; vident seris etiā miranda sub annis  
Omnia testari manibüsq; oculisq; videntur.*

Tutamē, heu, post hæc nimiū crudele subisti  
 Exitium, Phrygiæ tellus ingrata Philippe  
 Sustulit, & sœua luxit te morte peremptum.  
 Sed bene habet; statuit cælo nā viuida virius.  
 Felix hac palma fortunatisque laborum,  
 Quos dum vita fuit, constanti mente tulisti,  
 Cūm procul à patria Christi mandata feroceſ  
 Ad populos ferres in tantum nomen ituros:  
 Nostamen hic lenti confedimus alta teretes  
 Otia, & ingenti metamur ſidera voto.  
 Surge anima, haud faciles ad celiſ limina  
 mundi

Accessus docet eſſe, ſuo qui ſanguine nobis  
 Ignotum signauit iter, noſtrōque volentem  
 ( Nec metuunt homines) fudit pro criminе  
 vitam.

Impositā ſed adhuc ſanctis in collibus urbē  
 Et celebris luſtrare iuuat penetralia templi: IACOB  
ALPH  
F.  
 Ætherei huc Salomō custodē fæderis arcam,  
 Et legum tabulas æterni pignus amoris  
 Tranſtulerat, fuluāſq; Deo ſacrauerat aras;

Barbaricis opibus postes cōtecta nitebant,  
 Quis rigidas auro vestes, auriq; talenta  
 Cælati numeret? non hanc sine numine molē,  
 Nec tot diuitias inimicus perdidit ignis.  
 Vos ergo Isacidæ (latum gens sparfa per orbē  
 Quæ meritas culpæ pœnas expendis auitæ  
 Perpetuo exilio) sacris assuescite nostris,  
 Euersoque nouos ritus ediscite templo:  
 Non pecudum fibris nūc est sed corde litandū;  
 Et quisquam vetitos aris mactabit honores?

Ille, vides, multa populi quē luce coruscum  
 Suspiciunt, magno Justi cognomine notus  
 Incedit capite intonso, nudisq; viarum  
 Strata terit plantis: superūm domus alta  
 loquentem

Exaudit, iussiq; cadunt de nubibus imbræ.  
 Hic vir, hic est, læsi memore qui numinis iram  
 Testatus, Solymūm rebus succurrere fluxis,  
 Et patriâ voluit tristes auertere flamas;  
 Nec semel hæc lacrimans mœrenti pectore  
 rupit:

Chara mihi Solyma extremum quod te allo-  
 quor audi,

Atque animis penitus, veri si cura, repone.  
Ipse Deus, genitusq; Deo, quē Diua creatrix  
Fudit, & integrum meruit seruare pudorem,  
Quem cecinere patres, & nostri sanguinis  
auctor

Vētūrum excidio quondam præsensit Auerni,  
Qui positos cineres, imisq; inclusa sepulchris  
Ossa potens dias lucis reuocabit ad oras,  
Et reddet populis haud mollia iura renatis,  
Fraude tua occubuit; capiti nec crimina sācto  
Fingere, & indignas timuisti sumere pœnas:  
Fleēte Deū precibus, scelerisq; exposce nefādi  
Suppliciter veniā, & melioribus vtere sacris.  
Ni facias, qui te circumstent accipe casus;  
Sūma dies venit, O Solyme, iā Roma supremo  
Te luctu cumulat viētrix; quo culmine rerum  
Deieētam fors excipiet miseranda vel ipsis  
Hostibus? obfessas arces, pallentia tristi  
Ora fame, lacrimas, strages, incendia cerno.  
Voce mea monet hæc cæli qui temperat orbes  
Ne dubita, poris ille tuas fulcire ruinas,  
Et solida actutum labentem in sede locare.

Eja age submittet fasces tibi victa superbos,  
 Ac mundi ereptis lugebit Roma triumphis.  
 Et Sodoma, & Ninos est monumentis co-  
 gnita prisca,

Felic iudicium, fuit hic clementia praestos  
 Paruit haec monitis, illa est exosa monentem.

Nil actū, furor hinc odijs accensus iniquis  
 Primorum mentes stimulis maioribus urget.  
 Oceanum veluti rapidis cūm flatibus Auster  
 Euertit, trepida nequicquā in puppe magister  
 Nititur inuito portum contingere cælo,  
 Obstat hyems, rectoris opem vicere procellæ.  
 Sic labor Alpheidæ tenues effusus in aurass;  
 Insontem quocunque parant absumere leto.  
 Quid iuuat antiquæ iactare oracula legis?  
 Et dextrā in gemino diuinā agnoscere saxo?  
 An manibus decuit patriā scelerare cruentis?  
 Haud mora, delubri senior deiectus ab arce  
 Hic duplices palmas, oculōsq; ad sidera tollit:  
 Visendi studio populus concursat; at ille  
 Sæius, acerba tuens collapsum fuste superstas  
 Immolat, & frontem letali diuidit iōtu.

*Quisquis es haud lögū infelix lætabere, nescis  
 Expeſt ent fœcunda quibus te tartara pœnis.  
 Sic cadit Alpheides, aperit dum credita nun-  
 quam*

*Ora suis: capitur Solyme, miserabile cuius  
 Excidium vatem docuit non vana locutum.  
 Reliquias ingratæ extrema per omnia gentis  
 Exercet Deus, & fatalibus exuit aruis.*

*Cōdidiſ has olim generosa Semiramis arces,  
 Primāq; coctilibus posuit fundamina miris: SIMO  
 Culmina miratur cælum, miratur & altus  
 Euphrates medio congestas flumine moles,  
 Ac reſluo ſiftens declives agmine cursus  
 Suspicit Assyrij palatia celsa tyranni.  
 Splendida regali collucent atria ſumptu;  
 Interior domus eſt oculis imperuia noſtris:  
 Lætitia exultat Babylō, ferit æthera plauſus;  
 Non aliter quām ſi longa obſidione leuentur,  
 Et feſti bello poſt multa pericula ciues  
 Publica ſecuris declarent gaudia rebus.  
 Ipuſum crediſerim lætos attollere fluctus*

Euphratē, viden' vt plenis descendit ad vndā  
 Turba vījs? amnē positis pars vestibus intrat,  
 Pars redit iniectōq; humeros velatur amictū,  
 Excipiunt alios famuli, crinēmq; madentem  
 Humentésque fouent puris mantilibus artus.  
 At proni in ripæ viridantis margine Judas,  
 Germanusque Simon venientes ordine longo.  
 Ter fluvio mersant, verba & solēnia dicunt.  
 Falor? an haud frustrā culti plaga lactea  
 cæli,

Æthereos niueo dirimit quæ limite tractus,  
 Conspicuo præter solitum fulgore renidet?  
 Illi autem deiecta solo qui lumina tristi  
 Fronte tenent, magicis insignes artibus vrbē  
 Implebat monstris, manesq; Acheronte ciebat;  
 Attoniti modò vix hiscunt, & nomine Christi  
 Audito trepidant pauidi, victumq; farentur  
 Regnatorē Erebi stygias cessisse sub umbras.  
 Alpheidas cælo meritis quis laudibus æquet?  
 Huc properate nouem, mea maxima cura,  
 forores;

Ferte citæ laurus, vestris nec parcite lucis,

Atque alia valeant omnes de frōde corona.  
Mox tamen extremis Persarum in finibus  
ambos

(Certa fides factō) populi furor impius hausit  
Et clara emeritos cumulauit morte labores.  
O fortes animas, patuit quibus ardua mundi  
Regia, & aligerūm lögē manus obuia fratriū  
Astra super gaudente polo deduxit ouantes.  
Et dubitamus adhuc mortalia temnere rerum  
Æternas ut opes liceat post fata potiri?  
Quām vili pretio cælestia regna parantur.

Hæc maris Ægei felix est insula Cyprus,  
Quām ponti à Syria quondam vis magna  
reuulsit.

BARN  
BAS.

Educat iniussa tellus lätissima myrtos,  
Purpurei iactant paſſim sua lumina flores,  
Et molles Zephyri trāquillo in marmore ludūt.  
Scilicet orta ſalo V enus his emersit ab vndis,  
Nascentemq; Deā nymphæ ſtupuere marinæ,  
Et circum duxere choros placata ſecantes  
Æquora, Portunus cōcham per cœrula rexit.

Talia sublimi cecinerunt carmine vates;  
 Ah nimis Aonium infamant mēdacia collem.  
 Hīc Salamis supereſt, hīc ſidera pulsat  
 Olympus;  
 Non deſunt Paphos, atque Amathus, non alta  
 Cythera,  
 Et Paphio donis opulentū in littore templum;  
 Alba Dionæis colitur ubi Pyramis aris.

En tibi Barnabas graio velamine tectus,  
 Quē Paulus comitē in casus aſciuerat omnes,  
 Paulus amor cæli, post mille pericula vitam  
 Reddere pro Christo haud veritus; nec ſecius  
 alter

Incumbens operi tanto, iuſſisque supremis  
 Oppetijt, ſed iam à Paulo ſcretus obibat  
 Europā, atq; Afiam: patrijs nunc acer in oris  
 Susceptum exequitur munus, populūmque  
 frequentem

Alloquitur; ſanctis placidas hortatibus aures  
 Aduertunt omnes, pendéntq; docentis ab ore.  
 Nec temere ad Veneris, cuius ſub numine  
 Cyprus,

Lumina protendit, sceleratas indicat aras;  
 Impia sacra iubet ritusq; abolere nefandos  
 Et gratos superum regi decernit honores;  
 Sed non eloquio fas est audire tonantem.

Prisca Semiramij redeunt miracula regni;  
SVSAN  
NA.  
 Quaq; iteru celsis Babylon se mænibus effert  
 Spectantem nitidis variantes floribus horti  
 Oblectant, falluntque ipsos argentea visus  
 Lilia; conchylii sunt tincta papauera fucos;  
 Ut violæ pallent, mollesq; rubent hyacinthi?  
 Luteolo calthas lucentes igne, rosasque  
 Murice Sidonio suffusas vera putares  
 Astra, quibus picti tellus micat æmula cæli;  
 Omnia quid memorè spirantis dona Fauoni?  
 Aspice, natu os ars est imitata colores:  
 Sic vario nubes Iris discriminat arcu,  
 Sic sparsas oculis ales Funonia pennas  
 Explicat, & radijs tenebras Aurora resoluit.  
 Ditibus Alcinoi certant pomaria silvis,  
 Lætâq; pendentes texunt umbracula rami  
 At gemini tremulo Silani murmure largos

Diffundunt latices, labróq; exuberat amnis;  
Unde leues riui fugiunt per florea rura.

Fama pudicitiae hic veteris Susāna lauatur,  
Fracidum nuptas inter qua pulchrior olim  
Non fuit, aut thalami consors mage fida  
iugalisi;

Collecta in nodum flauo coma vertice fulget,  
Et rutilo flammas oculi iaculantur in auro:

Inficit os niueum rubor, & candore niuali  
Colla humeriq; nitet, lucretibus vnda papillis

Arridet, patula tunicam suspendit ab ulmo.

Talis erat, prisci narrant si vera poëta,

Dicit ynnæ species, nymphis cum forte relictis

Ablueret roseum secreto in flumine corpus.

Contemplator adhoc varios in virgine motus,

Quæ laus artificis! pudor hos, metus excitat  
illos.

Námq; obstare(nefas) longæuos fecit amates.

Quò ruitis miseri? quid vos desueta subegit

Incassum tanto submittere corda furori?

Spes alitis vanas, casto de pectore nunquam

Legitimus discedet amor, sed vestra referte

Consilia in melius : sancti iam missus ab alto  
 Coniugij vindex aderit, nec cana senectus  
 Vos tegere, & iuste poterit subducere pœnae.

Damnatam, ac turpi reuocatam à funere  
 demum

Susannam, raptosq; vides ad debita testes  
 Supplicia; it populi cōfusus ad æthera clamor:  
 In medio Daniel sed cunctis altior extat,  
 Infandumque aperit crimen, cogitque fateri.  
 O quam te memorem iuuenis? nā seu tua facta  
 Admiror studio recolens, seu luce coruscos  
 Aspicio vultus, hominem sunt omnia supra:  
 Tu cæli interpres, sceleris tu maximus vltor;  
 Uxorem Joachim detecta fraude reducit  
 Et thalami amissam recipit, te iudice, laude.  
 Te vasti tremuere caua sub rupe leones,  
 Tu superum decreta tenes, gnarūsque futuri  
 Omnia certa refers, nec te ventura sub axem  
 Magna Dei proles latuit; tu somnia regum,  
 Regnorum occasus, extremaq; tempora nosti.

Sunt quibus oblati facies ignaua pericli

IVLIT  
TA E  
QVI  
CVS.

Tēporibus dubijs trepido de pectore Christū.  
 Excutit: at molles animas ( si fortia sensus  
 Visa mouent ) pudeat fūlittæ cernere letum.  
 Pœnarū hic nullū cessat genus; omnia largus  
 Membra lauit sanguis, non ullus corpore toto  
 Vulneribus locus est; ardet tamen ic̄ta Deo  
 mens,

Insinuatq; simul præcordia ad intima virtus,  
 Et solido fractæ consistunt robore vires:  
 Sicut vere nouo, cūm floribus ingruit imber,  
 Alba caput fessum demittunt lilias pulsis  
 Flicet at retegat Titan si nubibus orbem,  
 Vestiat & campos radijs, flos regius ultro  
 Assurgit, cæloque suas ostendit aperto  
 Dinitias: tanti est cælesti afflari et aura.  
 Is verò, septum latio quem milite princeps  
 Suspicit vrbs Cilicū fama notissima Tarsus,  
 Excelsus folio, populis dat iura vocatis.  
 Ausonium nosco succincti Præsidis ensem,  
 Demissāmque humeris chlamydem, quam  
 læuis adunco  
 Fibula constringit morsu, fascēsq; timendos:

Scintillant oculi, toto furor eminet ore,  
 Lictorumque moras, & segnes increpat ietus:  
 Quin etiam comitem crudeli in cæde Quiricū  
 (Quis ferat hanc speciem) charæ iubet esse  
 parentis.

Et vix matris erat depulsus ab ubere, soluit  
 Cùm subito in Christi laudes (mirabile dictu)  
 Ora puer, lucemque pia pro voce reliquit.  
 Huc nunquā potuisse minis precibusq; moueri  
 Accipimus, teneras aures obstruxit, & altum  
 Ipse sui omnipotens nascenti infixit amorem.  
 Quād timuit nato genitrix ne falsa nocerēt  
 Gaudia, néue etas nulos experta labores  
 Tantarum sineret tolli sibi præmia laudum:  
 Quid furis & strictum intentas saeuisse  
 ferrum?

Horrescunt morte sceleris qui conscientia gestant  
 Pectora, nec sedes sperant post fata beatas.  
 Dilectam, tu parue puer, ne desere matrem,  
 Quæ cupit æternæ sociū te adiungere palmæ.  
 Si te, nate, Deus terris ostendere tantum  
 Constituit, cælo vitam sine fine rependet.

Hæc illa vt perhibet; aduerte, vt cognitor ira  
 Horribili accensus pueriles sævit in artus,  
 Innoquóque truces oculos in sanguine pascit.  
 Deinde sui caput elisum, & collapsa Quirici  
 Mèbra vidēs mater posci se gaudet Olympo,  
 Exanimemque super gladio percussa quieuit.  
 In nunc & matres verbis extolle Lacenas;  
 Nulla satis tales animos mirabitur ætas.

LVIN-  
2V E-  
MA R-  
TYRES.

Quinque etiam clari pietate, & fortibus  
 ausis

Hic iussi dare thura focus ceruice reflexa  
 Auertunt oculos, summo pro rege parati  
 Cælicolum magnis animas impeditere cœptis.  
 Nudatos lacerari artus, & densa sonare  
 Verbera penè humeris credas; seu pulsus ab  
 Euro

Præcipitet tectis crepitanti grādine nimbus.  
 Informes nodis & multa cuspide virgas,  
 Vulneraq; ipsa vides fluido uiuentia tabo:  
 Nec simplex via mortis erit; nam flumine  
 mersi

Protinus

Protinus excedent terris, & luce carentum  
 Naiades in viridi deponent corpora ripa:  
 Res effecta, nouos expectant sidera ciues.  
 Nulla dies unquam decus hoc certamine partū  
 Venturis adimet sæclis, dum prisca manebit  
 Religio, æternāq; pater Romanus in urbe  
 Seruabit veteres ritus, moremque sacrorum.

Proximus ille quis est, galea qui tectus GEOR-  
 equoque GIVS.  
 Sublimis, validas procero corpore vires  
 Ostentat, rapidōq; infert noua bella draconis?  
 Impatiēs fræni quadrupes insultat, & anguis  
 Aspectum refugit: sed contrà obnittitur heros  
 Nec dare terga finit, mōstriq; immite ferētis  
 Exitium certa transuerberat abiecte frontem.  
 Inde manus tendit deserto in gramine virgo  
 Externata metu, pallētque exanguis in auro.  
 Hæc dextræ hand ignota tuæ monumenta,  
 Georgi;  
 Parta tibialis est, quam nulla oblitteret ætas.  
 Vos capitum turbam Lernæa cæde iacentem

## ICONVM

Herculis & clauam vani iactate poetæ;  
 Addite squamigeri victorem Persea ceti,  
 Et pugnæ ereptis precium non vile catenis  
 Andromedam : heroas vestros qui præster  
 habemus.

Iste quidē, populos Iouius cùm marte rebelles  
 Sternet, aut trepidos Romani auerteret  
 hostes

Arcibus imperij, noménq; decūsque gerebat  
 Eximum bellis assuetus, & arua trophyis  
 Insignibat ouans: plures sed pertulit vltro  
 Haudquaquam ob meritum succenso Cæsare  
 pœnas;

Dum fidēs animi & Christi perculsus amore  
 Non dubiam in mortem tendit, corāmque  
 tyrannum

Alloquitur, dirásque iubet mitescere leges.  
 Cernis ut eduro tendantur stipite membra,  
 Sæuáque corpus aret leralibus vngula sulcis,  
 Tormenti genus inuisum: mox sanguine fuso  
 Vix tamen infensi satiatur Principis ira.

Tu caput hoc clarū potuisti absumere ferro

Crudelis? nec tot magni spectata periclis  
 Dextra viri, & gelida formidine nescia vinci  
 Pectora, consilium mentis flexere cruentæ?  
 Scilicet hoc meruit virtus! sanctus ne securim  
 Imbuat Ausoniam semper cruar? abi?ce curam  
 Orbis, & vtrici propera tua fata veneno:  
 Hac saeure tenus liceat, sit libera tandem  
 Religio, mundique alio sub Praeside regnet:  
 Tepus adest (gaudete pi?) quo Roma nefandos  
 Abi?ciet ritus, Christumq; ad sceptra vocabit.

Non ego transferim proavis, opibusque po- ÆGI-  
DIVS:  
 tentem

Ægidium, à doctis ortus qui traxit Athenis,  
 Et viles hominum statuens deponere curas  
 Urbem deseruit, spontique per aquora vectus  
 Confedit Rhodano: scopuli pendentia tecta  
 Exilio gratas præbent in littore sedes.  
 Sed raro subeunt tantæ fastidia sortis;  
 Anne volēs quisquam tot opes à patre relictas,  
 Et patriam, & ciues consanguinitate pro-  
 pinquos,

*Omnidq; amittat fallacis præmia vitæ?  
Nō animus nisi magnus eo succeditur igni:  
Nil mortale sapit; non illum vanus honorum,  
Humanasque hebetans mentes amor curit  
habendi.*

*Hæc Rhodanus properat, rapido qui flumine  
præceps  
Tethyos in gremium descendit mollior vndis;  
Magnum opus, & prisco Marij cognomine  
notum.*

*Nō procul est Arelas, dupli clarissima portu,  
Gallica Roma Arelas Gothicis seruire coacta  
Regibus; at Gallis Francorū interrita virtus  
Attulit auxilium cognatos ulta Quirites.*

*Lætior in ripa seclusam myrtus opacat  
Speluncā, & viridi saxū cōpleteitur umbra:  
Perq; latus voluens nitidas argenteus vndas  
Fons liquido croceos distinguit tramite flores;  
Silua ingens circum nondum violata securi  
Imminet, & latè frondosa cacumina tollit,  
Nullaq; calcato apparent vestigia musco.  
Hæc domus Ægidij, hic Mauros nouus incola  
postes*

Despiciens, mollesq; thoros cælestibus explet  
 Delicijs aidam mentem, Diuūmq; frequenti  
 Colloquio fruitur; faciles agrestia rami  
 Dant poma, & victū tellus inarata ministrat:  
 Ceruāq; speluncæ certis assueta diebus  
 Dulcia largitur modici carchesia lactis.  
 Fscidum vatem sic aethere missus ab alto  
 In siluis aluit cereali munere coruus.  
 Nonne lupæ gemini siccarunt vbera fratres,  
 Auspicijs quorum R omana potentia cœpit?

Nescio quis nostras clamor peruenit ad  
 aures:

Sublatas audi venantum ad sidera voces,  
 Latratusq; canū; nemus est indagine cinctū,  
 Et trepidare feræ, & cursu præuertere tela.  
 Ille manu iaculū, hic neruo stridente sagittam  
 Ingerit, expectant alij post retia prædam.  
 Ecce autem iuuenis, tyrio quem regius ostro  
 Velat honos, dextrâ ferrū dum missile vibrat  
 Altus equo, ceruāmq; premit quacūq; fugacē,  
 Prospicit Ægidium ( quippe hunc e rupe  
 propinqui

Excierat nemoris strepit⁹ ) vultūmq; suprema  
 Deformē macie, promissam in pectora barbā,  
 Puluere conspersos crines, atque obsita pannis  
 Membra videns stupuit : sed parui in limine  
 tecti

Ardua vt humanæ infexit monumēta salutis  
 Desilit, amplexusque virum secreta verendæ  
 Ingreditur rupis , sequitur quem plurima  
 pubes:

Ex humeris pendēt habiles de more pharetræ,  
 Aut lato præfixa gerunt venabula ferro:  
 Ille quidem gradies totum supereminet agmē.  
 Talem alim Cœus Phœbum pinxit Apelles.  
 Et Phidias molli viuum duxisset in ære.  
 Pubescunt læues tenera lanugine malæ,  
 Addidit eximum formæ preciosa decorem  
 Cœsaries, nullo tegitur velamine pectus:  
 Sed niueum in flexo collum ter cingitur auro:  
 Auratis saguli distincta est purpura virgis,  
 Aureus accincto collucet balteus ense.  
 Quisquis is est, gentem Francorum à sanguine  
 ducit;

Spirat in audaci virtus animosa metallo.  
 Post aliquot messes solido de marmore templū  
 Regali scandet nemora inter frondea cultu,  
 Et virides sacro resonabunt carmine siluae.

Tāta decet Francos pietas: Si cana reuoluis  
 Secula, Idumæas tulit hæc tibi, Gallia,  
 palmas;

Hac duce vietus Arabs, Asiaq; exercitus  
 omnis.

Captiuūsque tuas sub leges fluxit Oronres,  
 Et Gallos rerum dominos noua Roma recepit.  
 Hæc dedit Hesperij lapsos attollere fasces  
 Imperij, Latioque patri succurrere iussit;  
 Et Francūm Augustos perduxit ad æthera  
 Diuos.

Hæc, HENRICE, tui firmās cunabula regni  
 Æternum populi tibi conciliauit amorem.  
 Cognite maior auis Princeps, decreuit olympus  
 Omnia fausta tibi, & magnis Deus affuit  
 ausis.

Fam tua bis senos superauit fama labores.

Quæ fœcunda nimis patriæ infelicitis Erynnis  
 Protulerat, deiecta tuo sunt numine monstra.  
 Nec tota Herculeæ debetur gloria clauæ:  
 Accesſit placido mitis Clementia vultu,  
 Eripuitque feros dextris ciuilibus enſess;  
 Unde tibi merita velantur tempora queru.  
 Belgicus imperij redijt te vindice limes:  
 Nil potuere doli, pulsus de finibus hostis,  
 Audacēſque animi gentis cecidere ſuperbae.  
 Vidimus obſeffas armis felicibus Alpes,  
 Dum repetis iusto Francorum iura duello.  
 Itala quām timuit tellus, ne prisca redirent  
 Tempora, cūm Latias inuafit Gallus in vrbes,  
 Et vix Romulidum nutans fortuna reſedit.  
 Prælia ſpectantes alius laudabit Atridas;  
 Tu potius ( magnis ſi par industria votis )  
 Per medias acies metuendi fulminis instar  
 Obuia quæque ruēs versu celebrabere noſtro.  
 Nam tua te quoties media inter millia ferro  
 Hostiles cuneos turbantem Gallia vidiſ;  
 Vidiſ, et) augustæ ſtupuit miracula dextræ.  
 Macte animis, HENRICE, vehit te Martius  
 ardor

Sublimem cælo, sed pacis adorea maior,  
 Quæ patriæ summa fecit te laude parentem.  
 Nimirum tot bella tuis confecta triumphis,  
 Altius ut forti victricibus insita lauris  
 Surgat oliua manu , longumque virescat in  
 ænum.

Delphino sed firma tuo cùm acceſſerit ætas,  
 Tunc alio vetus hostis erit vincendus in orbe.  
 Te suadente puer cœptis inſiſtet auitis,  
 Ad trepida & Pharij melioribus oſtia Nili  
 Auspicijs veniet ſubita formidine versos  
 Abdaridas penitus video ſe condere Bactris,  
 Extremosq; fugâ Scythiæ penetrare recessus.  
 Quod caput à Diuo ſupereft, ut debita Frācis  
 Regna Palestinae generoſo marte repoſcat,  
 Ex illo Solymis dextro dabit omine reges  
 Gallia, & imperij ſceptris potietur Eoi.  
 Ergo triumphato Princeps Oriente redibit,  
 Illuſtrēſque ſuper titulos conſcendet auorum.  
 Excipiet magno reducem Lutetia plauſu,  
 Ac ſolemne ſuo votum pro Cæſare ſoluſet.  
 Interea Galli longa iam pace fruuntur,

Extinctum ciuale nefas, nec bella quietos  
 Extera sollicitant; tranquillis artibus urbes  
 Incumbunt, agros miles proscindit aratro,  
 Et steriles grauidis lauros permutat aristis.  
 Eductos operum miramur ad aethera sumptus,  
 Ingenia, artificiumque manus, data claustra  
 frementi

Neptuno, & iunctos mutatis cursibus amnes.  
 Iam tua Saturni certabunt tempora saeclos;  
 Lapsa polo sumpsit dominas Astraea secures,  
 Et sacra postpositis habitat Palatia templis.  
 Haud regio in terris qua plus se iactet Apollo.  
 Aligeri hic fluit humor equi, & permessidos  
 unda,

Castaliusque liquor; quanto se proluet haustu  
 Digna parat tantis Musæ cui carmina rebus?

Nec virtute tua se tantum Gallia tollit;  
 Prospicis Italiæ, & ciuilis semine flammæ  
 Extincto pacem reuocas; te suspicit orbis,  
 Et tua magnanimi veniunt ad foedera Reges:  
 Atque adeo, nisi læsa tui sit gratia sceptri,  
 Omnia vesani cessabunt munera Martis,

Vicinæq; alta gentes in pace quiescent.

Hæc tibi , magne heros , Diuum genus,  
optime Regum,

(Quem patria æternum cupiat , si sanguine  
quemquam

Mortali genitum fas immortale maneret)

Munere sunt concessa Dei: sed plura mereri  
Supplicibus poteris votis ; dabit ille vetusta  
Unanimes populos in relligione tueri,

Francorum pietas veteri notissima fama

Ut decus , & primam referat te Principe  
laudem:

Hæc , HENRICE , tuis dabitur quoque gloria  
fatis.

# ICONES

## LIBRI SECUNDI.



GARVMNA.

TOLOSA.

S. SATVRNINVS.

S. PAPVLVS.

SS. HILARIVS, HONORATVS

ET SILVIVS.

S. EXVPERIVS.



PHILIPPI  
BERTERII  
TOLOSÆ SEV  
ICONVM.

LIBER SECUNDVS.



*VSPICIIS patres olim  
cælestibus ausos  
Palladiæ Christi ritus inferre  
Tolosæ,  
Virtutésq; nouo claras inte-  
xere peplo*

*Ingredior, cæpti pars hæc postrema laboris.  
Nō mihi virgineo prostratus vulnere Typho  
Cæteraque armisonæ pinguntur facta Mi-  
neruæ:*

*Omnis Erichthei sileat iam fabula veli,*

Prisca satis nostras tenuerunt somnia metes.  
Tectosagum, FRANCISCE, sacris decus ad-  
dite Fastis,

Muricis Ausonij splendor, qui ducis ab alto  
Principibus nostris cognata sanguine gente;  
Cuius consilio sceptri moderator auiti  
Henricus diuisam odijs, armisq; frementem  
Italiam placidæ reuocauit ad otia pacis,  
Aspice (namque oculos capere hæc spectacula  
forsan,

Et grauibus poterūt animū subducere curis)  
Insignes pietate viros, cælōq; receptos  
Pontifices, quorum pressis vestigia signis  
Insistis, manibúsq; pares moliris habenas.  
Nam quamuis Celtae Augusti iussa secutus  
Diuinis hodiè studijs & moribus ornes,  
Ne tu, ne patrios vñquā obliuiscere Volcas.

RVM- Aëriæ procul ecce tibi iuga summa Pyrenes,  
Bebryciae (vt perhibent) arces, his mænibus  
olim

Ipse parens rerum Gallis seinxit Iberos,

Et certos stabili fixit discrimine fines:  
Nascitur hic paruo rapidus de fonte Ga-  
rumna,

Externosque trahens diuersa per ostia fl̄ctus  
Tectosagum celsos prono subit æquore muros.

Magne Garumna sequor te cœrula regna  
petentem,

Vno eodemq; addūt comites se tramite Musæ:  
Tu per Aquitanas sacrū caput exeris vrbes,  
Gratāq; fertilibus retines diuertia terriss;  
Factatq; illa tui pariter se fluminis ortu  
Gallia, laurigeras vedit quæ prima secures,  
Romula sed Gothicū sumpfit prouincia nomē.  
Qui recidiua tenent Lugduni mœnia, longè  
Indigenas spectant saxi de vertice fontes;  
Felic & veteres fama est habitasse Garūnos,  
Quà plaga Vasconici latè protenditur agri:  
Ora dehinc recipit miseræ te conscientia cladis,  
Ulricem læsi meminit quæ numinis iram.  
Tu potes infaustæ causas euoluere pugnæ,  
Demersamq; tuo plebē memorare sub alueo.  
Protinus accurrit fluvio tibi pulcher amœno

*Aurigera, & celeres socio iuuat agmine lapsus.*

*Perge, vides altae turres & tecta Tolosæ;  
Illa sinum tibi pandit ouās, gremiōq; receptū  
Jam souet, & geminis cunctantem amplecti-  
tur vlnis:*

*Tu famulam annonis præbes ciuilibus vndā,  
Luctantēsq; vrges lymphas, fluctūsq; sonoros  
Quos valli ingētes cohibet; exultat aquæ vis,  
Clastrāq; sprærupto fertur super ardua saltu.  
Respice, quæ lato crescunt in gurgite moles  
Ferre triumphales inuicti Principis arcus  
Incipiunt, dominas olim mirabere lauros,  
Æternōq; leges sacras in marmore quercus.  
Te tamen amplexus charæ non detinet vrbis,  
Sed totū florens Aquitania poscit, & auctum  
Vindicat auriferi pleno sibi flumine Tarnis;  
Deinde suos errans per rura virentia paruus  
Frriguo confert Ægircius amne liquores.  
Mox pede decurrentis liquido perstringis  
Aginnum.*

*Accelerāsq; viam, & properantem intercipis  
Oldum.*

*Prætero*

Prætero ignotas Latij annalibus vndas,  
Nec referam famæ multas ignobilis vrbes.

Seu placido lambis flauentia culta meatu,  
Seu iuga te viridi prætexunt consita Baccho,  
Oppida seu spectant turritis edita muri,  
Aut excelsa tuas decorant prætoria ripas;  
Eripiet primos amnis tibi nullus honores.

Plurima squamigeræ te millia gentis adorant,  
Et iussos ineunt per stagna liquentia cursus:  
Naïadum formosa manus comitatur euntem,  
Pars natat, & faciles molli dat corpore gyros;  
Pars pedibus choreas vicino in gramine  
plaudit.

Tu superas dulci fontes, & flumina potu,  
Regia nec tecum contendat lympha Choaspes.  
Alternos reflui taceat quis marmoris æstus?  
Te pater Oceanus fluuijs magis omnibus vnu  
Diligit, & longè venienti occurrit alumno:  
Excipis æquoreo mundi commercia portu,  
Quodque Arabum terra, & felicibus India  
glebis,

Aut fulvo profert Ophire generosa metallo

Tot freta, tot vario labentia sidera motu  
 Et mensæ reuehunt diuerso è littore puppes.  
 Ergo tui decus vrbs annis V iuasca secundum  
 Aggeribus classem inuestigata miratur ab altis,  
 Et fessas tuta retinet statione carinas.  
 In nunc, & Durani fraternos accipe fluëtus;  
 Ille tuo magnum consumit in æquore nomen,  
 Nec minor ingenti tecum se corpore miscet:  
 Creber & inde salo fremitus, vastumque  
 trementes

Dant gemitum ripæ; interea te celsa salutat  
 Blauia Aremorici cōstructa in limite tractus,  
 Gallica cū Ducibus parerent castra Latinis.  
 Iam prætent a mari, medijs assurgit in vndis  
 Et Phariä exæquat sublimis Cordua turrim.  
 Iam ribi, qui toto pelago circunsonat orbem,  
 Brachia Santonico Nereus de gurgite pädit.

Hæc lacuvt accepit præconia laudis ab imo,  
 Flumineæ emersit regnator maximus vndæ;  
 Cui glauco fortes humeri velantur amictus,  
 Taurinumq; caput redimit fluvialis arundo.  
 O genitor tenues igitur non despicias orsus?

Det secura meis utinam Deus otia musis,  
Supra Indum, & Gangem celebri veetabere  
cantus;

*N*on tibi qui dites voluit Pactolus arenas,  
Et septem gemini certabunt flumina Nili.  
Sed prius incœptum liceat decurrere munus;  
Quidquid enim angusto riui manabit ab ore,  
Hoc omne in patriæ certū est impēdere laudes.

Talis erat magnæ species antiqua Tolosæ: T O L O -  
S A.  
Lætaregunt dextrâ collem vineta propinquū,  
Hâc regio patet ad montes extenta Gebenos  
(Teetosages magna quondā ditione tenebant)  
Diues opum, diues felicis semine glasti,  
Frugibus, & molli tellus fœcunda Lyæo;  
Cæruleus lœuā pulchro secat amne Garumna,  
Et validis torquet cerealia saxa fluentis,  
Totāq; plebeio miscetur ripa tumultu.  
Aspicere est longo suspensum fornice pontem,  
Et fluuiio impositos lapidum compagibus  
amnes,  
Queis viui media latices funduntur in urbe.

Cedat vterque Anien, & Virgo, & Martia  
cedant;

Martia Romanas inter clarissima formas;  
Nūctamē exigua, & nostro vix cognita sāclo  
(Heu qui anam tantum nobis inuidit honorem  
Longa dies) prisci restant vestigia ductus.

Siste aciē, gemini si aditus, cuneosq; Theatri,  
Si podium, & triplici distinctas ordine sedes,  
Aut miserum caueæ libeat spectare furorem,  
Mutatum veteris nomen retinemus arenæ;  
Cetera tēpus edax properatib⁹ abstulit annis.  
Tantorum ergo operum moles ætate fatiscent?  
Ipsa suis demum succumbent marmora fatis?  
Et quisquā indignetur adhuc si lumine vitæ  
Decurso, merita soluuntur corpora morte?  
Vascones hinc, populiq; nouē vicina Garūnæ  
Arua tenent, pinguésq; exercet vomere cāpos,  
Quos Atyrus vitreis Tarbellicus irrigat  
vndis.

Hæc inter scandens humili de valle Tolosa  
Aurea coetilibus tollit fastigia muris:  
Vrbs proprijs pollens opibus, quā fertilis agri

Vber alit, fausto despectat sidere cælum;  
 Diuitijs cumulani varijs haud disperita longè  
 Et maris occidui, & Tyrrheni littora pon: i:  
 Germanos non illa quidem, Graiosue parētes,  
 Turpiaque euersæ iactat cunabula Troiæ,  
 Sed fouet indigena ductos à stirpe colonos,  
 Nec tribuunt solæ tantum sibi laudis Athenæ.  
 Arietis hic semper celebris de nomine porta,  
 Palladis hic templum, Capitoliaque alta  
     manebunt,  
 Creditur Augustæ quā prisca colonia matris  
 Æmula, Tarpejo sedem posuisse Tonanti.

Sed trepidus tota plebis concursus in urbe! SATVR-  
 Dissonus attonitas clamor penè impulit NINVS.  
     aures;  
 Quò malus euasit furor? O crudelis imago  
 Supplicij, infandæq; necis spectacula' tanti,  
 Non aculi, nō corda ferunt monumēt doloris.  
 Entrabit excelsò Capitoli è limine taurus  
 Formam hominis laceram, informem, lorisq;  
     reuinētam.

Effusus veluti rapido cum vortice torrens  
 Deinceps populatur iter, ruit agmen aquarum,  
 Et filias immane sonans radicibus iunis  
 Exertit, sterilemque vadis subiectat arenam,  
 Hand aliter praeceps tota regione viarum  
 It populus, rabidisque implet clamoribus urbe:  
 Cernuntur diræ facies, quæ verbore denso  
 Terga feri, & crebris proscindunt ictibus  
 armos:

Ille furit, cornuque auras, pedibusque laetifit,  
 Fertur in arua vagus, campisque parentibus  
 errat:

Diffugiunt passim, & pallentes tuta figura  
 Ascensu superant, hic tellus sparsa cerebro  
 (Horrendum visu) illic saxa madentia tabo,  
 Et nigro apparent rorantes sanguine dumi,  
 Expiet nequeunt oculique animaque sequentum.  
 Sic medio camporum in puluere Saturninus  
 Occubat, & si attis raptatum corpus habenis  
 Efferat turba odio non dum exaturata relinquit.

Omiseri ciues, quæ vos insania mutat,  
 Et tantos animis irarum suscitat astus?

Primus hic impulerat, ni mens auersa fuisset,  
 Monstra nefanda Deum incestis auellere  
 templis;

Hic meliora noui posuit sacraria cultus,  
 Et Christum aeternae deuicta morte salutis  
 Auctorem docuit, cuius qui iussa faceſſunt  
 Per miseros postquam hoc aui quodcunque  
 labores

Transactū eſt, totōq; abeunt ē corpore ſenſus,  
 Ardua præpetibus tendunt ad ſidera pennis:  
 Quām vereor ne veftra luāt cōmiſſa nepotes.

At tu fidia tuæ ſpes & tutela Tolofæ  
 Aſtra petis, vulgique minas cōtemnis inaneſ;  
 Mox tibi Tectosages ſtudijs præſtatibus acti  
 Vota ferent, templūmq; tuo de nomine ponēt:  
 Interea vili decorant te funere matres,  
 Et lacera occulto cōponūt membra ſepulchro:  
 Non illas populi terret viſ magna furentis;  
 Fœmineo pietas animos in corde viriles  
 Sufficit, & robur præſentia numinis auget.  
 Quid cæli non audet amor, qui pectora culpæ  
 Nefcia, ſollicita leti formidine ſoluit?

P V - Tum vicina etiam peruasit in oppida pestis;  
 s. Quà virides nemorum tractus, & rara  
 videntur

Culmina tectorum, congestóq; aggere muri,  
 Excipit intrepida strictam ceruice securim  
 Contemptor lucis Papulus; delegerat vnum  
 Quem Saturninus comitem, sociúmq; laboris,  
 Cum fortis se ad tāta senex incæpta pararet.  
 Quas nō ille vices, quæ nō discrimina adiuit?  
 Aurea dum spargit felicis semina verbi,  
 Sublimesq; vias monstrat, cælumq; recludit:  
 Tēpore at hoc primum dira inter funera cœpit  
 Surgere religio & Christi increbescere nomē.

Dat pius iniusto pœnas sub Iudice sanguis;  
 Dexter a lictoris ferro est armata cruento,  
 Exanimumque cadit resciso vertice corpus.  
 Dicite io Musæ, mortales vita reliquit  
 Exuuias, mundiq; alta consedit in arce;  
 Unde domos superūm, nitidoque micantia  
 subter

Signa polo mirata, in te Rex optime Diuūm  
 Tota inbiat, visusq; optato pascit amore.

*Vos patriæ quos tāgit honos date lilia plenis,  
Et croceos mecum calathis effundite flores.*

*Post tamē excedet quæ nūc violētia gliscit,  
Lætāque deterso succedent omnia fletu.*

*Ac veluti pelago cùm nigra procacibus Euris  
Sæuit hyems, cæcāq; diem caligine nimbus  
Obruit, & vasti pulsant supera ardua fluctus,  
Si gemini erumpant piceis è nubibus ignes  
Tyndaridum, dubij sifit fortuna profundis;  
Iam ponti cecidere minæ, nox atra recessit,  
Et Zephiri æquato sternūt vada cœrula flatu,  
Noxia seruatæ persoluunt vota carinæ:  
Sic Deus offusas animis vbi lumine claro  
Perstrinxit tenebras, rabies infanda quieuit,  
Fliset & pietas fuit & clementia cordi.*

*In media tunc urbe Deo statuere* HIL.  
RIVS  
HONC  
RATV  
ET SI  
VIVB.  
*trophæum*

*Tectosages, solio deiectus Juppiter hic est,  
Excussumq; manu fulmē, quæ plurima saevis,  
Credidit ut facilis, verique ignara vetustas,  
Sidereo pater ille Deum vibrabat ab orbe:*

Haud minùs insanæ præses, custosq; Tolosæ  
 Aurato depulsa iacet Tritonia templo:  
 Cum galea abscisum caput est, licet ora tueri  
 Gorgonis, horrificæq; reuulsos ægidis angues:  
 Direptis ingens templis spectatur aceruus;  
 Tres super effigies ostróque auróque decoræ  
 Quæ capiti bifidum sacri gestamen honoris  
 Tegmen habent, demissa pedes it vestis ad  
 imos

Aurea, & intextis variè distincta figuris,  
 Purpureisq; premūt soleis spolia impia plātæ;  
 Dextra oratorum ritu sublata vetusto  
 Contrahit, & tollit digitos: nam senior ætas  
 Antiquum morem in meliores transfluit usus.  
 Læua pedum stringit pastorū insigne superbū  
 Chara quibus summus commisit ouilia pastor.  
 Eloquij est quod cernis opus; dat murmura  
 circum

Turba frequēs, lætoq; docet sua gaudia vultu.  
 Alcidem fama est monitis cùm suauibus aures  
 Mulceret, populum iniectis traxisse catenis:  
 Imperium latè exercet facundia, parent,

Et vincla accipiunt animi haud ingrata  
volentes.

Felices sed enim peperit queis dædala fandi  
Copia tartareo celebres ex hoste triumphos:  
Siue feros placidis motus componere verbis,  
Seu visum potius vitiorum immania monstra  
Sternere, & ultrici moliri fulmina lingua;  
Hæc pater Hillarius præstans pietate, nec illi  
Silvius inferior, factis & nomen adeptus  
Nobile Honoratus (quos oris diuite censu  
Instructos Deus antè suis præfecerat aris)  
Insimul egregiæ meruerunt præmia laudis.  
Inde superstitionis templis spoliata recessit,  
Ac nouus errorum di, cussit nubila Titan:  
Excipient anni factum immortale sequentes,  
Tantaque venturis clarescat gloria sæclis.

Indutos alius truncos regalibus armis,  
Nutantēsq; canat spoliorum pōdere quercus;  
Aut memores titulos solemnis fercula pompæ,  
Cæteraque augusti celebret monumenta  
triumphi,  
Condat vt in veteres nomen sublime poëtas:

Me modò posteritas paruo haud infesa labori  
 Hæc patriæ nauasse sciat, mihi laudis abun-  
 dè est,

Nec mea crinales expectant carmina lauros.

Nunc intende aciem, viuis certantia magni  
 Ora viri disces, quo non felicior alter  
 Restorei rigidas mellis dulcedine sensus  
 Prædari, & sanctos accendere metibus ignes.  
 Cuncta tibi artifici quondam vigilata labore  
 Expediam dictis, & tempora prisca docebo.  
 Pontificem flebant inopino funere raptum  
 Tectosages (patris haud sec' externata repeti  
 Interitu domus est) resonabat questibus ether,  
 Omnia perpetuo luctu confusa videri:  
 Cum subito hæc mæstos vertit sententia ciues  
 Accire Exuperum, & viduo præponere templo.  
 Aspicias ex omni primores ordine lectos,  
 Qui populi, clarique ferunt decreta senatus:  
 Ille repugnanti similis vestigia retrò  
 Auertens oculos flectit, munusque recusat  
 Impositum, tali nec se dignatur honore.

Fortunate senex istam precor exue mētem,  
Iāmque audire tuæ voces assuesce Tolosæ;  
Ingenij tibi sunt dotes, & conscientia recti  
Pectora, facundæq; potens est gratia linguae;  
Tu tamen hic vitam degas inglorius omnem,  
Et surda oblatum detrectes aure laborem.  
Quin age, rumpe moras, & grandia iussa  
capesse;

Te censore suos populus componere mores,  
Discat, & antiqui meditetur temporis aurū.  
Sed vicere preces; nempe hic comitatur ouates  
Legatos, gressumq; libens ad mœnia tendit.  
Tecta viæque fremunt plausu, lux aurea toto  
Fusa nitet cælo, credas gestire domorum  
Culmina, et excelsas venieti assurgere turres.

Parte alia concurrit inops, miserandaque  
turba,

Et confecta fame spiranti pallet in auro:  
Exuperus solio residet, quem linea totum  
Vestis obit, tenuique leuis velamine birras;  
Stant gemini hinc atque hinc habiles ad iussa  
ministri:

Ante pedes video plenis congesta canistris  
 Dona laboratæ Cereris; pater ipse benigna  
 Excipit illa manu, miseric & ciuibus offert:  
 Aut dextrā tendūt omnes, aut munere grates  
 Accepto referunt, rident & crustula læti  
 Matribus ostendunt pueri: panaria circum,  
 Flauentésque opifex auro cœlavit aristas.  
 Ægypti, & Libyæ diuerso ex orbe quotannis  
 Publica Romulidum cōplebant horrea fruges,  
 Nec Macetum tellus, nec Gallica rura  
 negabant  
 Auxilium: at vanā Cæsar vix pascere plebē,  
 Augustisque famem poterat depellere muris.  
 Nimirum Deus ille, manu qui cūcta potenti  
 Condidit, & segetes fœcundis imperat aruis,  
 Cœlestisque cibi largos è nubibus imbræ  
 Fſacidum castris deserta per auiā fudit,  
 Experi nunquam frustratus vota, precantē  
 Audijt, & populi rebus succurrit egenis,  
 Annonamq; pios accrescere iuſſit in uſus.  
 Exin Barbaricis obſessam viribus urbem,  
 Fixaque in aduerso cernis tentoria colle:

Hinc omnis legio campis instructa reseedit,  
 Quæ triplicem ostēt at muris aduersa coronā.  
 Tectos agis via nulla fugæ: sic retia latè  
 Explicat, & longa saltus indagine claudit  
 Venator, radiat pictis exercitus armis,  
 Et varia ignotæ distingunt agmina gentes.  
 Totam aciem fortes equitū cinxere catervæ;  
 Ductores volitant medijs in millibus auro  
 Conspicui, tristésque accendunt militis iras:  
 Fili indignantes vallem clamore videntur  
 Implere, & resonas nequicquam effundere  
 Voces.

Hiscalas humeris summa ad fastigia tollunt,  
 Hi pluteis tecti portarū effringere claustra,  
 Aut aperire viam perfoſſis mænibus audēt.  
 Nec minus & cælū telorū inuoluitur umbra;  
 Saxa, facēsq; volant: non armis fœta viriſq;  
 Vinea deest, cornūq; aries metuendus aheno.  
 Alta tenent, firmāntque aditus, animāſque  
 periclis

Obiectant ciues; patria virtute penates  
 Aut tegere, aut pulchræ mens est occumbere  
 morti.

Exuperi ductu clausis fiducia crescit,  
 Et succensa nouæ subeunt præcordia vires;  
 Primus adest, tectusq; armis cælestibus heros  
 Tedit ad astra manus, humana maior imago,  
 Sidereoque micant perfusi lumine vultus,  
 Sed procul ardentes oculi suprema minantur.  
 Collucent tali fatales igne Cometæ,  
 Subiectisq; ferunt morbos, & funera terris.  
 Desuper infelix cumulatis cædibus hostis  
 Sternitur, hic volucri iaculo, cadit ille  
 sagitta,  
 Obruitur saxis alter, de culmine multi  
 Præcipitat, gradibus nixi dū brachia tendūt,  
 Et temerè hostiles sperant inuadere muros.  
 At nullo (miserum) percussi vulnere plures  
 Protinus expirat. Nō vestro hæc debita marti  
 Gloria Teetosages, cæli vos cura tuetur.  
 Haud secùs Isacidis, duplices cùm tolleret olim  
 Magnanimus palmas Moses, victoria ceſtit,  
 Et meritas Amalec fuso luit agmine pœnas.  
 Urbs forti est seruata manus; fugere repulsi,  
 Aut animā posuere altis sub mœnibus hostes.

Gallia

Gallia sed postquam fato perculsa ruentis  
 Imperij Getico cœpit parere Tyranno,  
 Tunc quoque Romanis tempestas illa Tolosam  
 Auulsit sceptris, seu ventus & imber adesum  
 Cum montis latus impellunt, dat victa ruinā  
 Terrifico sonitu rupes, armenta ferāsque  
 Præcipitisq; trahens pendentia robora siluae.  
 Heu nihil æternum toto sol aspicit orbe:  
 Ipsa etiam terræ, & vasti Regina profundi  
 Non potuit Gothicos euadere Roma furores.

Est tibi parta salus Francorum vindice  
 dextra

O PATRIA, ex illo libertas reddita captæ,  
 Et Gothicum inuisio cecidit cum sanguine  
 regnum.

Subdita Romanis olim prouincia virgis  
 Te caput agnoscit, tecum nec Martius audet  
 (Sic mutat fortuna vices) contendere Narbo.  
 Clara tibi Comitum series, sed regibus omnis  
 Gloria ab Hectoreis: Franco sis nomine felix,  
 Haud alios vñquā metuat tua Gallia fasces;

*Stet proprijs domus HENRICI subnixa  
triumphis,*

*Æternumq; datas rerū moderetur habenas.*

*Curia patricio fulget sublimis in ostro,*

*Innumerisq; tui populis dant iura Catones.*

*Apta tibi studijs pacis, bellique iuuentus;*

*Transit ad seros virtus antiqua nepotes,*

*Commendatque tuos pietas insignis alumnos;*

*Hic Diuum sedes: superi hic pars magna  
senatus*

*Cum postrema dies perituro illuxerit orbi,*

*Induet æthereos rediuiui corporis artus;*

*Scadat vt æterno summū cum Rege tribunal.*

*Hic habitant Musæ Capitolia celsa tenentes,*

*Victurumq; tuæ nomen venerantur Isauræ:*

*Tarpeias superat violæ noua præmia quercus,*

*Et celebratus honos solito de more quotannis*

*Perstat adhuc, nulloq; annorum corruet icu.*

*Sunt tibi qui magni callent Demosthenis artē,*

*Notaq; ciuiles exornant atria palmæ.*

*Romuleæ toto Legis tu mater in orbe;*

*Sanguis & ille tuus, iuris cui pura togati*

Lux primū effulgit multis incognita seclis.  
 Ausus ego Latias primus tentare Camænas  
 Hæc tibi sacra fero; famam sperare perennem  
 A genio fas Diua tuo: tu carminis auctor  
 Sola mihi, afflatumque tui me numinis aura,  
 Docta suos inter censembit Gallia vates.  
 Interea quidquid senibus contingit in annis,  
 Adsit Calliope, Musisq; & Apolline maior  
 Valeſiae faueat semper lux inclyta gentis  
 (Qua sine nulla mea queretur laurea fronti)  
 Despiciam miseros vitæ fugientis honores,  
 Et cupido euoluam meliores pectore curas.

FINIS CVM DEO.

CAL. MAII.

M. DC. X.



**N**os in Sacra Theologia Doctores, & almae Vniuersitatis Tolosanæ Regij Professores infrà scripti perlectis, quanta fieri potuit attentione, V. Illustr. Philippi Berterij Præsidis in Senatu Tolosano Carminibus, quæ hic Icones seu Tolosa inscribuntur, testamur nihil in ijs deprehendi à nobis potuisse, quod non auitæ pietati & orthodoxæ fidei consentiens, & congruum videatur; eaque prælo dignissima iudicauimus. Dat. Tolosæ 8. Cal. Maij. Anno M. D C. X.

I. P V T E A N V S August.  
P E L A P R A T Y S August.

**N**os Vicarij generales Ecclesiæ Metropolitanæ Sancti Stephani Tolosæ, sede vacante, visa sacrae Theologiæ almae Vniuersitatis Tolosanæ Doctorum & Professorum attestatione, permittimus dictæ Vniuersitatis Typographo typis excudere Carmina, quæ hic Icones seu Tolosa inscribuntur, ab Illustr. D. Philippo Berterio in Senatu Tolosano Præside meritiss. edita. Dat. Tolosæ 2. Cal. Maij. Anno M. D C. X.

C A L M E L S Vicarius generalis.

## *SV M M A P R I V I L E G I I.*

**R**egia cautum est auctoritate, ne quis in hoc regno Franciæ, Philippi Berterij in Senatu Tolosano Præsidis Icones seu Tolosam: nisi volente auctore, intra sexennium audeat prælo committere, aut alibi impressos venales habere; ei qui secus fecerit pœna indicta, prout pleniūs regio ipso diplomate continetur. Dat. Lutetiae Parisiorum 3. Cal. Feb. Anno M. D C. X.

LA F O N T.



# SUMMI TRINITATIS

Bonum est ergo quod dominus noster Iesu Christus  
deus filius regnatur in sanctis spiritu omnipotente.  
Iesu Christi regnum est in celo. Sed etiam in terra. Et in terris  
regnum est deus filius. Quia regnum dei regnum Iesu Christi.  
Qui regnum dei regnum Iesu Christi regnum est in celo.  
Et in celo regnum est deus filius. Quia regnum dei regnum Iesu Christi.

anno M.D.C.X.

IV. Font.

1777